



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XVII. Quia cœlum ejus laudibus plenum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

qui per manus Saræ transfierunt, tantam efficaciam habuerunt. Per *Saram*, ut intelligam SSam Virginem est mihi *Author D. Bonav. in spec. B. Virg.* Exclamat hic *Eusebianus de poenitentia Theophili.* Quis ò Domina mea speravit in te & pudore est affectus? aut quis hominum fideliter omnipotentem tuam rogavit opem, & fuit unquam derelictus? Undè hortatur *Fulbert. Carnot.* Inter hæc igitur Fratres cum toto mentis affectu Beatissimæ Virginis intercessione nos committamus, omnes ejus patrocinia omni nisu imploramus, ut dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedulâ prece commendare dignetur in cœlis, neq; enim dubium quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus liberatis conferre suffragium. *Card. Hailgrinus.* Sicut oleum cæterum liquorem supernatat, sic nomen Mariæ & invocatio nominis ejus omnium Sanctorum nomina, & invocationes nominum superexcellit, & superat in efficacia subventionis. Quare *S. Joseph. Confess. in Men. 7. Martij* dixit. Beatus est populus qui te omnium Domini Matrem agnoscit, & celebrandæ beatitudinis tuæ desiderio flagrat. Consonat & *Romana Ecclesia Græcæ, dum de Virgine dicit.* Venerunt omnia bona pariter cum illa. *S. Joseph Confess. in Menais 2. Martij.* Qui sacratum uterum tuum incoluit Dominus, ille nunc omnes verâ te fide ut beatam laudantes, in habitacula toti Trinitati jucunda permutat. *S. Sabbas 2. Julij ibid.* Non dubium est, quin expertus canit: Lætitia tua ò Virgo quæ in homines sine fine redundat, instar roris maturini, illam æstuantem ærumnarum fornacem, quâ encomiastæ tui subindè in hac vita vexentur perpetuo sopit ac mitigat: hoc est extinguis Virgo atque lopus in cultoribus tui fomitem peccati.

17. Quia Cœlum ejus laudibus plenum.

S. Bernardinus tom. 3. serm. 1. a. 2. cap. 1. ita probat Christo Virginem vicinam. B. Virgo fuit Christo vicinissima quadrupliciter. 1. In Incarnatione, per carnis identitatem, quia eadem caro quæ fuit Virginis Matris facta est earo Filij Dei, ideo illi dictum: Dominus tecum. 2. In Conversatione siquidem eum lactavit, illique ministravit, ejus absentiam sustinere non potuit, nam & dolens eum quæsivit, & in templo invenit. 3. In passione fuit vicinissima, per compansionem, quia recedentibus discipulis non recessit, stabat enim juxta crucem JESU. 4. In Assumptione per gloriam. *S. Anton. 4. p. tit. 15. cap. 20. parag. 1.* Virgo Sanctissima quamvis & ipsa stella maris illustretur a sole, tamen *Apoc. 12.* dicitur velita ipso Sole, ut ostendatur præmium ejus excellentissimum, ut sicut nil propinquius & conjunctius

Etius corpori quàm vestitus, ita nihil propinquius gloriæ Christi, quàm gloriæ & præmium B. Mariæ, & aptè, quia sicut ipsa vestivit Solem in mundo Dei Filium caræ suæ secundum Ezech. 32. *Solem nube tegam*: sic ipse eam in cælo vestivit sole exælsivæ gloriæ. *Damasc. orat. de dormit. Virginis*. Suæ Genitricis animam in Sancta Sanctorum introducit, subque animalium quatuor formis stantium alis collocat, suoque ipsius solio, in interiore velaminis parte sistit, (est allusio ad arcam) quod præcursor ipse Christus corporeo mundo ingressus est. *S. Th. p. 3. q. 27. ad 1. art. 5.* Virgo tantam obtinuit gratiæ plenitudinem, ut esset Authori gratiæ propinquissima, ita quod eum qui est plenus omni gratiâ in se reciperet, & eum pariendo quodammodo gratiam ad omnes derivaret. Et quidem ut *S. German. Patriarcha Constantinop. Men. 18. Jan. in Vesp.* Salutationem Angelicam ô Virgo omnes in corporeæ legiones, item chori Patriarcharum, Prophetæ, Apostoli, unaque Divinæ Religionis Antistites, venerandi præterea Martyres, item reliquæ stationes Sanctorum, ac denique agmina justorum universa decantant. Imò *S. Damasc. 22. Jan. post id. 9. ait*: quod Virgo ingens cantandi materia, Apostolis, Martyribus, Prophetis, & omnibus demum Cœlitibus data. Et *Eccel. Græca Men. 5. Apr.* Ipsæ cœlorum Virtutes te ut omnium viventium Matrem, debito tibi honore, tanquam satellites comitantur, & simul concelebrant hymnis. *Ibid. S. Ioseph. Confess. 2. Julij.* In Reliquijs B. Virginis colendis tanti se gaudij nobis collegas ostendunt, omnes Virtutum cœlestium chori, Prophetæ, item & Martyres, universa multitudo Sanctorum atque justorum. *Metaphr. de dormitione Virginis* affectum Sanctorum jam erga demortuam Virginem sic describit. Cùm in orbem sanctum Virginis corpus circumdedissent Apostolorum chorus, & quidquid erat electum ex viris, & mulieribus hymnis honorabant, & omnia membra reverenter simul & amanter amplexabantur, non solum suum ostendentes desiderium, sed vel ex tactu credentes percipere utilitatem. Verùm Divi Cœlites non tantùm ipsi Virginem Sacram colunt, sed etiam gratias ijs referunt, qui cultum Virgineum curæ habent. Cùm S. Ildesofus Virgineæ puritatis hostes hæreticos profligavisset: accidit ut quinto idus Decemb. die Beatæ Leocadiæ sacro veniret ad templum in quo corpus hujus Divæ esse sciebat, sed ignorabatur locus sepulchri: erat ibi Rex Revesinthus cum aula sua plena: D. Leocadia aperto sepulchro prodit augustâ Virginis specie, & ad Ildesofum accedens merita ejus in Dei Matrem clarâ voce testata. Per te inquit Ildesofuse vivit Domina mea, sed cùm repeteret Diva sepulchrum, Ildesofus quò res ad memoriam testator esset accepto Regis gladio partem veli quâ Diva tegebatur abscidit, & unâ cum Regis gladio in sacrarium intulit, quæ servatur nunc To-

leti

leti. *Habetur hoc in legenda S. Ildes. in officiis Toletanis.* Quam rectè S. Th. de Villanova *serm. de Nativ. Virg.* Omnis Virginum candidatus chorus hujus Virginis laudes concinit, omnes vultum ejus deprecantur & eam veluti Reginam venerantur & colunt: omnibus eam Altissimus præposuit, non solum Virgineis, sed etiam Angelicis choris, quia Mater ejus est, & Matrem decet omnis celsitudo. *Amed. Laujanensis. hom. 3.* Omnes ô Maria superas! præes universis, non solum hominibus, sed & summis coelorum Virtutibus. S. *Dominicus Carthusianus* vidit Sanctos in caelo Mariano se nomini inclinantes. B. *Gertrudis* vidit Sanctos in caelo nomen Mariæ celebriter decantantes. *Eadem lib. 4. insinuat cap. 12. & 46.* vidit in caelis quoties aliqua recitabatur de B. V. puritate cantiuncula seu antiphona; omnes Sanctos assurgentes, & speciali reverentiâ imperialem Virginem, & Dominam suam venerantes, gratias devotas Domino referentes pro omnibus beneficijs B. Virgini Matri, unquam ad universitatis salutem impensis. Potest dici quod illi viginti quatuor seniores quos *Joan. Apoc. 4.* vidit coronas coram throno deponentes, coram Virgine causâ venerationis illas deposuerint. Nam pridem R. *Haccados* nomine Throni Matrem Dei intellexit. Mater Messiae futura est Sedes Dei, quam Deus construxit ut in ea sederet Rex Messias ad augendam gloriam Majestatis suæ. Ita apud *Galat. in lib. 7.*

18. Quia est maximæ Bonitatis.

S. *Theod. Neot. orat. de Nativ. Virg.* sic affatur. Ave Maria, Sanctuarium, Fons Divinâ scaturigine fluens, omni sanctimoniâ plena, imò alios replens. *Sophon. serm. de Assumpti.* Verè plena Maria gratiâ, per quam largo Spiritûs S. imbre superfusa est omnis creatura. *Franco Abbas secundus Aligemiensis tom. 7. de gratia Dei.* Laus Mariæ fons est indeficiens, qui quâto largiùs extenditur, tantò amplius impletur, quâto amplius impletur, tantò latiùs dilatatur: jure ergò Mariæ omnis generatio benedicit, per quam omnis generatio benedictionem promeruit: ideo quia gratias in alios diffundit cum quâpiam jurisdictione quam advertit *de Busto.* Boni enim est natura alijs benè velle, & facere, magis verò illud bonum est, quod plus boni, vel de suo, vel si de alieno cum jurisdictione in illud possit facere. Sed jam audiamus quid dicat nominatus Scriptor *Bernardin. de Busto serm. 61. cap. 8. stell. 8.* Non timeo dicere quod in omnium gratiarum affluxus quandam jurisdictionem habeat hæc Virgo, de cujus utero quasi de quodam Divinitatis oceano rivi & flumina emanabant omnium gratiarum. *Bernardus de aqua ductu.* Plenitudinem Fon-

tis.